



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Vita S. Benedicti, Abbatis Præstantiſſimi, monachorum Patriarchæ, ex ea quæ est per sanctiſ. Pontificem Romanum. Gregorium, conſcripta. Claruit maximè, Ab anno Redemptoris 523. vsq[ue] ad annum 543. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

summa grauitate auctor scriptum reliquit, sancti eiusdem corpus, post annos quadringentos & decem & octo, eadem integritate fuisse repertum.

Post annos
418. corpus
eius integrum
repertum.

VITA S. BENEDICTI, ABBATIS PRAESIDENTISSIMI, MONACHORUM PATRIARCHE, EX EA QUAE EST PER SANCTISS. PONTIFICEM ROMANUM. GREGORIUM, CONSCRIPTA. CLARUIT MAXIME, AB ANNO REDEMPTORIS 523. VSQ. AD ANNUM 543. VIGILII PAP. 4. IUSTINIANI IMP. 14. TOTILAE GOTHORUM REGIS 2. ANNIUS VERò OB DORMITIONIS EIUS PLANÈ INCERTUS EST. EXTANT AUTEM DE EODEM, QUAMPLURIMI VULGATI ERRORES.

Vide Caesar,
Bar. Annal.
tom. 7.

BENEDICTVS liberiori ex prouincia Nursia genere ortus, cum puer Romae liberalium artium disciplinis traditus fuisset, cerneretque multos inanis scientiae opinione tumidos, per abrupta vitiorum praecipites ruere, subito pedem, quem quasi in mundi ingressu posuerat, retraxit, despectisque literarum studijs, sapienter indoctus, in desertis locis tota mente pietatem, vnicum salutis portum, sectari constituit. Erat ei nutrix, quae arctiori eum amoris vinculo complectens, quam ut se ab eo diuelli pateretur, vestigijs eius sedula instat; cumque ad locum, quem Effide appellabant venissent, & ab amicis & cognatis, pro necessitudine, diutius ibidem, eximia benevolentiae significatione detineretur, nutrix, ut triticum a paleis secerneret, capisterium a vicinis mulieribus commodauit; quod incaute ab ea super mensam derelictum & subito casu fractum, diuisumque, magnos ei luctus lachrymasque mouit. Benedictus autem lachrymis suae nutricis vehementius commotus, ablati secum vtriusque fracti capisterij partibus, se totum

21. Martij,
Patria eius.

Benedictus
puer, fractum
capisterium
oratione in-
tegrum resti-
tuit.

totum in orationem dedit, surgensque ita partes solidatas inuenit, vt nulla in eo fracturæ vestigia apparerent. Quæ res & nutricem mirificè exhilarauit, & eius loci incolas excitauit, vt ipsum vas in ecclesiæ ingressu suspenderent, ne vlla vnquã obliuione tam præclari miraculi memoriã deleteretur. At Benedictus nè ex laude humana, sancti sui propositi naufragium faceret, clam ad desertum locum quadraginta ferè millibus ab vrbe Roma distantem (cui Sublacus nomen est) secessit. Quò dum fugiens pergeret, monachum quendam Romanum nomine, qui sub Theodati disciplina vitam sanctissimè degebat, obuiam habuit; qui explorata Benedicti mente, acrius eum diuinis sermonibus in pietatis studium inflammauit; additoque sacro religionis habitu, in arctissimũ specum dimisit, vbi Benedictus tribus annis, soli Deo Romanoque cognitus, cum eximia sanctitatis laude vixit.

Romanus autem cum pro sua in virum Dei charitate, panem statuto tempore ex eminentiore rupis loco, in specum per funem demittere solet, signumque aduentus sui tintinnabulo ex fune suspenso daret, accidit quodam die, vt diabolus inuidia concitatus, misso lapide ipsum confringeret, Romanumque ab instituto charitatis opere auertere conaretur. Cum verò omnipotens Deus, & Romanum à labore quiescere, & Benedicti vitam hominibus in exemplum demonstrare vellet, cuidam presbytero in festiuitate paschali epulas sibi paranti, apparere dignatus est dicens. Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame siti que cruciatur. Qui protinus in ipsa solennitate cibis illis, quos parauerat, onustus, per abrupta montium, per concaua vallium, per

Petit desertum.

Romanus monachus, S. Benedictũ in specum includit.

Presbyter à Deo admo-

defossa

defossa terrarum quæ sunt. inuentumque in specu benigne salutauit, & ad communes epulas inuitauit. Benedictus qui propter longam humanæ consuetudinis insolentiam, in mensum dierumque obliuionem penè venerat, & maximæ festiuitatis, quæ summo Christianorum omnium gaudio celebratur, tempus adesse ignorabat, cibum sumere recusauit. Cumque presbyter ita se haberet, & à Domino missum esse confirmaret, libenter acquieuit. Eodem tempore pastores quoque in specu latitantem inuenerunt; quem dum hirsutis bestiarum pellibus, vestitum inter fruteta cernerent, bestiam esse rati sunt; sed suauissimis diuinisque eius sermonibus ipsi à bestiali mente ad eximiam pietatis gratiam mutati sunt.

nitus, adfert
cibum S. Be-
nedicto.

Inuenitur
in specu, à
Pastoribus.

Quadam die solus in solitudine oberrans, auis quam vulgo merulam dicunt, adfuit, quæ magnam ei importuno circa faciem eius, volatu, molestiam exhibuit; quam cum manu capere potuisset, edico crucis signo abegit. Vix auis recesserat, & statim tanta carnis tentatio, ex recordatione scæminæ quondam à se visæ (quam dæmon ante mentis eius oculos reducebat) hominem inuasit, vt voluptate victus, consilium de eremo deserenda, caperet. Cumque dubius admodum animi, oculos in omnem partem versaret, fortè vrticarum & veprium densa fruteta conspexit; moxque indumento reiecto, nudum se in illos spinarum aculeos, & vrticarum incendia proiecit; ibique diu volutatus, voluptatem traxit in dolorem, ac toto, corpore faucius exiens, egregiè libidinis incendium extinxit, adeo vt nulla deinde prauæ cupiditatis molestia quateretur.

Tentatio car-
nis vehemēs

Fortiter sa-
peratur.

Cœperunt ex eo tempore multi ad eius disciplinam

plinam confluere. Erat in vicino monasterium, cuius præside defuncto, congregatio vniuersa ad Benedictum veniens, infimis & importunis precibus postulauit, vt defuncti patris munus subiret. Renuit vir sanctus, dixitque vitæ suæ institutū cum illorum moribus minimè conuenire. At illi cum instarent vrgerentque, prouinciam suscepit, & fluxos mores seueritate disciplinæ astringere voluit. Tūm illi dementiæ & temeritatis se inuicem accusantes, cōsilia plena iniquitatis de morte ei inferenda captarunt. Capto Consilio, placuit venenum vino mixtum viro Dei propinare; celerique morte salutis præcepta impedire. Accubuit vir sanctus, cumque vas vitreum in quo pestifer potus erat, extensa manu benediceret, illico vas, virtute crucis con fractum, potum effudit, & sceleratorum conscientias redarguit. Tūm vir Dei placido vultu, menteque tranquilla: Deus, inquit, vestri misereatur o fratres, quare tam nefarium scelus operari voluistis, Ite, & patrem moribus vestris conuenientem, querite. me enim habere posthac minimè potestis. His dictis antiquum habitationis locum repetiuit, vbi & virtutis exemplo & pietatis disciplina, plurimos ad insignem vitæ sanctimoniam perduxit. Duodecim ibidem monasteria maximis virtutū omnium muneribus egregiè ornata constituit; adque Romani, suos filios, optimis disciplinis moribusque imbuendos transmisere; inter quos Placidus Tertullij patricij filius, & Eutychie Maurus extiterunt.

Erant ex his, quæ construxerat, tria in rupe monasteria posita, quæ propter aquarum inopiam, fratribus ingrata & permolestam habitationem præbebant; Ad Benedictum igitur supplices venientes, orant vt ea habitacula ad fluuenta aquarū trans-

Fit Abbas.

*Dissoluti
monachi,
non ferunt
S. viri recti-
tudinem.*

*S. Benedictus
duodecim
monasteria
ædificauit.*

transferrī patiatur. Quos cū blandis verbis cōsolatos dimississet, nocte eadē, assumpto Placido adhuc puero, montis rupem conscendit, fusāq; ad Dominum oratione, tres fontes è rupe durissima scaturientes impetrauit. Erat in vno ex eis monasterijs monachus, qui frequenti diuinarū rerum studio victus, vagabatur. Cumq; nullis Abbatis sui monitis, ad officiū reuocari posset, ad virum Dei Benedictum deductus est. Qui ipse quoq; stultitiā eius vehemēter increpauit. At ille ad monasteriū reuersus, inueterato consuetudinis malo superatus, tertio die ad vagā mentē redijt. Quod cū seruo Dei ab eiusdē mōasterij patre fuisset indicatū, mox ad monasteriū iuit ægrā monachi mētē sanaturus. Obseruabat sedulū vir sanctus, quid ageret quauē attentione precibus incumberet; Tūm vero puerulum tetra colore deformem, monachū per fimbrias vestimenti foras trahentem conspexit; quē virga cæsum, correxerit, puerumq; fugauit.

Præclarum miraculum.
Diabolus, monachum ab oratione abstrahit.

Quodam tempore Gotthus quidam à Benedicto in sanctam monachorū societatem admissus, in mandatis acceperat, vt locū quendam iuxta ripam fluminis vepribus obfitū perpurgaret. Cumque magna virium contentione operi incumberet, ferrum de manubrio excussum, in lacum deiecit. Gotthus tremebūdus ad Maurum cucurrit, & damnum quod fecerat nunciauit; Maurus Benedicto indicat. Benedictus ad lacum accedens, manubrium in lacum misit; cui (mirabile dictū) ipsum ferrum protinus se applicauit. Die quadā ad hauriendā aquā puer Placidus egressus, impetu aquæ ad missū sagittæ vnus, in flumē abreptus est. Benedictus qui diuinis intētus rebus, Dei spiritu edoctus, periculū in quo versabatur, cognouit, Maurū euocauit, misitq; vt periclitanti in vndis opem

Aliud insigne miraculum.

Maurus,
eurrir su-
per aquas.

opem ferret. Maurus, graui pueri periculo percussus, postulata benedictione, ad patris sui imperium concitus perrexit, & intrepide aquis se commisit, puerumque per capillos raptum confestim eduxit. Quod vir venerabilis Benedictus non quidem suis meritis, sed virtuti obedientie deputauit.

Interea cum loca illa mirifica virtutum omnium splendore longè lateque clarescerent, & multi in hac monachorum societate, quasi tranquillum vitæ portum ab aduersa vitiorum tempestate, confugerent; Florentius quidam, vicinæ ecclesiæ presbyter, antiqui hostis malitia percussus, cepit maledico, dente famam sancti viri corrodere, omnibusque modis, studijs eius derogare. Cùm vero hac ratione nihil se proficere, sed virum Dei, ab omnibus maiori sanctitatis laude celebrari cerneret, inuidiæ facibus magis magisque accensus, misit pro munere seruo Christi infectum venenum panem; quem vir Dei (quamuis pestis minime eum lateret) cum gratiarum actione suscepit. Erat in vicina sylua Coruus, qui ad statam refectiois horam ad eum ventitabat, cibosque de manu eius accipiebat. Huic panem illum obiecit, & in Christi Iesu nomine præcepit, vt in locum ab omni hominum conspectu remotum, projiceretur. Coruus quamuis latentem veneni vim, crocitan-do perhorrescere se ostenderet, iussa tamen impleuit, & alios pro mercede cibos, post trium horarum spatium rediens postulauit, accepitque. Florentius autem cum ne hoc quidem sceleris inuento, Benedictum extinguere posset, ad extinguendas discipulorum animas nefarium facinus excogitauit. In horto cellæ in qua vir Dei precibus incumbere, nudas septem puellas misit:

Florentius
presbyter,
necem machinatur S.
viro.

fit: quæ discipulorum animos, nefando spectaculo, libidinis contagione inflammarent. At vir Dei de cella prospiciens, cum facinus hoc in suorum capita pro sua ipsius persecutione inuictum, certo sciret, & pestem perniciemque; tenerrimis plantis pertimesceret, inuidiæ locum dedit, ac habitationem mutare constituit. Florentius cum virum sanctum castra mutare ex solario conspiceret, ingenti gaudio exultans, summas lætitiæ voces dedit, sed gaudium ex iniquitate conflatum, non potuit esse diuturnum. Nam ruina tecti subito oppressus, miserè occubuit, Benedicto dolente & lamentante inimici interitum.

Nititur,
perdere animos discipulorum.

Percutitur
à Deo.

Castrum
Cassinense.

Aram Apollinis evertit.

Fremit in eum
Satanas.

Suscitat
mörtuum.

Porro ut religionis & pietatis studium longius propagaret, animum assidua cogitatione intendebat. Erat castrum quoddam, quod Cassinum appellabant, in excelso montis vertice positum, & nefando Apollinis fano celebre. Magnus etiã in circuitu lucorũ erat numerus, in quibus insana infidelium multitudo, sacrilegis sacrificijs operam dabat. Illuc vir sanctus contendens, contrito idolo, aram lucosque subuertit, & magna vocis contentione populum à nefandis sacrificijs absterruit. At malignus tanta & tam graui læcessitus iniuria, ut acri vindicta dolorem leniret, se comparauit. Nam, ut vir sanctus sacra monachorum habitacula eodem in loco eligere voluit, primo Benedictum maledictis impetere, sed cum ille impuros clamores cõtemneret, parietis vnus ruina puerum monachum miserabiliter oppressit; quẽ Benedictus ad se allatum, orationis instantia, ad vitam reuocauit. Iacebat ingentis ponderis lapis, qui nullis fere viribus loco suo moueri poterat; cuius rei admiratione capti fratres, Benedictum adeunt, qui protinus oratione sua pondus lapidis

Tt

pidis

Præstigiæ
dæmonum.

pidis leuauit, mandauitque ut effossa terra, quidnam ibi lateret, diligenter inuestigarent. Faciunt illi summa diligentia imperata, & idolum æreum inueniunt. Quo casu in coquinam proiecto, ignis, qui totum ædificium inflammare visus est, repente exiliit. Fratres cum dæmonis præstigijs illusi, summa contentione periculum inane auertere conarentur, venit Benedictus, & ut oculos suos signo crucis munirent imperauit: statimque flammæ, quas antiquus hostis fixerat, euauerunt.

Claruit
prophetiæ
spiritu.

Fuit autem cum alijs virtutibus, tum prophetiæ spiritu admodum clarus. Quod dum Totila Gothorum Rex auditione accepisset, ut eius rei periculum faceret, quædam e famulis suis, regio cultu & comitatu ornatum, ad eum misit: cumque longo adhuc interuallo ab eo distiti essent, Benedictus magna voce clamauit, ut fastum & splendorem alienum deponeret; qua illi voce adedò percussus sunt, ut ad terram strati, vix oculos leuare auderent; domumque remeantes regi rem ut acciderat, exposuerunt; qui ingenti admiratione pariterque timore correptus, accessit, & prostrato in terram corpore, temeritatis suæ veniam postulauit: cui vir Domini ventura prophetico planè spiritu, cuncta prædixit.

Totila Regis, versutus a S. Benedicto detectus.

Curat dæmoniacum.

Quidam Aquinensis ecclesiæ clericus, horrendo vexatus dæmonio, cum plurima martyrum loca frustra visitasset; tandem ad Benedictum ductus, sanitatis quidem gratiam statim recepit; sed cum salutari præcepto, ut ab omni sacri muneris functione abstineret. Seruauit ille præceptum cum sanitatis beneficio longo tempore; sed cum alios sibi, & ætate & eruditione inferiores, ea de causa præferri cerneret; diuini viri præcepti obli-

oblitus, sacris se muneribus ingessit: statimque hanc suæ temeritatis pœnam luit: vt nouis demōnis insidijs petitus, animam cum magno cruciatu exhalaret. Tanta erat in sancto diuini spiritus abundantia, vt ne cogitationes quidem fratrum, latere eum possent. Cum quodam tempore fames vehemens in Campaniæ regione increbuisset, & extrema tritici inopia monasterium laboraret, fratresque anxio valdè animo esse videret, vocatos ad se modestis verbis de diffidentia corripuit: cum promissione cœlestis auxiliij rursus consolans, crastina die rerum omnium abundantiam affuturam promisit. Adfuit dies altera, &

Farina, di-
uinitus ab-
lata.

ducenti farinæ modij ante fores inuenti sunt. Non longè ab eius monasterio, duæ virgines generis nobilitate claræ Christo se consecrârunt, quibus vir quidam religione & pietate insignis ministrabat. Cumque illæ paulatim, vt fieri solet, voti sui oblitæ, generis nobilitate tumescerent, & indignas sæpè contumelias in virum sanctum detorquerent, nec vllis monitis linguę petulantiam refrenare vellent, vir ille ad S. Benedictum perrexit, quantasque pateretur verborum contumelias enarrauit. Benedictus, audita iniquitate, protinus excommunicationis fulmine, ni linguam corrigerent, illis interminatus est. Illæ autem parum tam seuera comminatione perterritæ, paucis post diebus in eadem linguę petulantia vitam cum mortè mutârunt. Cum verò in ea qua sepultæ erant ecclesia, Diaconus inter Missarum solennia, ex more clamaret: Si quis non cõmunicat, det locum; nutrix harum virginum quę oblationem pro ijs facere consueuerat, terribili spectaculo defunctas de suis p̄gredi sepulchris & exire cõspexit. Quo sanè, vt par erat, vehemèter

Absoluti
possunt ani-
ma, etiam
corporibus,
exuta, ab
excommu-
nicatione.

Instabilis
monachus,
draconem
vidit.

Zalla, ho-
minis per-
fidi crude-
litas & aua-
ritia.

terrata, rem cum multis lachrymis ad Benedictū detulit, qui interminationis suæ recordatus, manu sua oblationem dedit, easque vinculo, quo innotatæ erant soluit, nec deinceps ecclesiam relinquare visæ sunt.

Erat in eius monasterio religiosus quidam, tanta mētis inconstantia agitatus, vt importunis admodum precibus contra datam Christo fidem, prorsus voti vinculo se solui postularet. Quem cum nullis vel monitis, vel precibus, in officio continere posset Benedictus, indignabundus eum à se repulit, & liberam quod vellet eūdi facultatē concessit. Sed vix miser pedem monasterio extraxerat, cum ingentem aperto contra se ore hiantem draconem conspexit, qui nō modò iniquam prauitineris libertatem impediēbat, sed crudelem etiam mortem minabatur. Ad cuius ille cōspectum prostratus, lugubri admodum eiulatu, auxilium & opem fratrum implorare cœpit. Fratres horribili clamore excitati accurrerunt, sed draconem minimè videntes, miserum illum omnibus membris trementem reducerunt, qui inconstantia suæ culpam agnoscens, protinùs ad mentem redijt, & ad extremum vitæ spiritum insigni cum pietatis laude, Deo militauit.

Temporibus Totilę regis Gotthorum, quidam Zalla nomine, perfidia Arianae cultor, & fidei orthodoxæ immanissimus persecutor, hominem quendam rusticum crudelissimis tormentis exagitabat, vt bonis eius per vim extortis, famē auaritiæ suæ expleret. Cumq; rusticus suppliciorum atrocitate victus esset, vt vita ad horam repararetur, res suas omnes Benedicto Dei famulo se commisisse dixit. Quo audito, Zalla hominem loris crudeliter vincitū, ante se ad Benedictū ire compulit.

pulit, ut res quib⁹ immani avaritiæ cupiditate in-
hiabat ab eo reciperet. Zalla viso Benedicto, in-
sanis peruersæ mentis clamoribus, res rustici,
quas sub sua custodia eum habere putabat, postu-
lavit. At Benedictus qui fortè sacris tunc codici-
bus summa cum mentis attentione incumbibat,
sublatis oculis, vinculorum rustici misertus, solo
intuitu nexus dirupit. Zalla ad tantæ potestatis
vim tremefactus, demissa rigidæ crudelitatis cer-
uice, ad terram corruit, seque orationibus eius
commendavit; quem vir Dei fratrum obsequio
benignè excepit, monitisque salutis, à tantæ cru-
delitatis infania, ad modestiæ pietatisque studi-
um reuocavit.

*Nota quid
possint san-
cti viri.*

Quidam rusticus defuncti filij sui corpus in
vlnis ferens, lugubri admodum eiulatu ad fores
monasterij venit, & Benedictum magnis vocibus
inclamavit. Cui, cum eum in agro rem rusticam
exercere, responsum esset, proiecto corpore, quã-
ta potuit celeritate maxima, ad agrum cucurrit.
Eadem hora, vir Dei completo opere, cum fratri-
bus domum rediens, orbem patrem obuiam ha-
buit, qui multis cum lachrymis filium sibi resti-
tui postulabat. Cui cum vir Dei nec se filium ab-
stulisse, nec sui, sed Apostolorum muneris esse,
defunctum ad vitam reuocare, dixisset; ille nihilo-
minus in petitione persistit, cum iuramento, se
inde non recessurum, nisi filium viuum recipe-
ret. Tùm Benedictus sublatis in cælum oculis,
Domine, inquit, nõ mea peccata, sed hominis hu-
ius fidem respice. Ad hanc orationem, defunctus
palpitare visus est; quem vir Dei manu sua suble-
uans, patri incolumem restituit. Inter tot autem
miracula quibus in mûdo claruit, doctrinæ quo-
que verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit

*Restituit vi-
tæ defunctum.*

Doctrina eius eximia.

monachorum regulam, discretionem præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ, omnes magisterij illius actus inuenire; quia sanctus vir, nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

Prædicit obitum suum.

Eodem quo de hac vita exiturus erat anno, discipulis quibusdam suis, obitus sui diem denunciavit. Antè sextum verò sui exitus diem, sepulturam sibi aperiri iussit. Qui correptus mox febribus, ingrauescente languore, sexta die Dominici corporis & sanguinis perceptione exitum suum

Moritur feliciter.

muniuit, atque inter discipulorum manus, imbecillia membra sustentans, vltimum spiritum inter verba orationis stans efflauit. Sepultus est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa

Miracula ad locum eius.

ara Apollinis, ipse construxit. Qui in eo specu quo prius habitauit, nunc vsque miraculis coruscet. Mulier quædam mente capta, miserabili eulatu per montes & valles & sylvas & campos, die noctuque vagabatur. Cumque beati viri specum nesciens ingressa fuisset, & somnum nimia lassitudine oppressa carpsisset, manè sanato sensu egressa est, omnique vitæ suæ tempore, in ea quam accepit salute, permansit.

A mens mulier, in specu S. Benedicti, redit ad sanitatem.

Vide Caf. Bar. in not. Mart. Rom.

VITA SANCTISSIMÆ VIRGINIS, pariter & Vidua, Catharina, filia S. Brigittæ. Migravit è corpore Anno Domini 1381. Ex ea quæ est apud Surium.

22. Martij.

Parentes eius. Traditur quidam Ab-

CATHARINA hæc, patre Vlphone viro nobili, & matre Brigitta, (cuius celeberrimum in ecclesia nomen est) in lucem edita est, quam mater ab lactam Abbatis Rißabergensi, spectata vitæ integritate foemine, instituentem